



ODO, Roberti Andium Ducis filius, alienus à genere Caroli Magni, tutorque Caroli Simplicis, iussus regnat apud Fracos post Carolū Crassum, anno mundi 4852. à Christo nato 890. nec obstitit Arnulphus Crassi curator, & Augustus Imperator salutatus, qui regnum occupare satagebat. Is Odo aduersus Normanos præclarè se gefsit. Franci biennio postquam Odonē Regem salutarunt, in Aquitania omnino eum regnare iubēt, assumpto Rege, ante tempus, Simplicem adolescentulo: id emulatione factum putarim: multi enim pro vno tutores exorti sunt, atque armis in Odonem actum ac decertatum est: aduersus quem Arnulphus Augustus accersitus est: virtute tamen, opibus, fortunæque superior Odo euasit. Odo in Galliam attulit nobile illud signum innumeris sparsum liliis, quod ad Caroli sexti tempora durauit. numerantur anni regni huius nouem. Vide Aemy. lib. 3. & Gag. Chro. li. 5. moriens Odo pupillo Simplici regnum restitui iussit.

CAROLVS Simplex, Balbi filius, post Odonem tunc demum dicitur regnasse apud Fracos, nempe anno mundi 4861. à Christo nato 899. huic pupillo coram proceribus regnū iubet restitui Odo animam agens. hoc Rege finitum est bellū Normanicum: Rhollo primus Normaniæ Dux factus est. Tot rerū fluctus in Gallia extitere à Balbo ad Simplicem, vt vix certò sciri possit quis potissimum regnarit. Robertus Odonis frater, regni emulus, aduersus Simplicem pugnās occiditur. Herbertus, cuius sororem in vxorem duxerat Robertus, Simplicem ad se in speciem rei componendæ accersit, & in carcerem Peronæ cōiicit: vbi post annos tres moritur, ac Peronæ sepelitur. Aemy. lib. 3. regnat annis 27. fuitque iuxta nostram supputationem 32. Francorum Rex.